~~Milit.~~ Polon.

1757.

Benedicti PP. XIV Breve de reddendis militibus in Regno Poloniae debitas suis in ipsa militia patratis criminibus poenas evitandi causa ad sacras ecclesias confugientibus.

~~8457. 1927.~~

Foris.

Jntùs
verò.

Foris. **Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis Episcopalem Jurisdictionem in Regno Poloniæ habentibus.**

(Locus Annuli Piscatoris.)

Jntùs verò.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VEnerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non sine gravissimo Apostolici animi Nostri dolore nuper accepimus ingentem in isto Poloniæ Regno frequenter accidere perturbationem inde ortum habentem quod, dum stipendio conducti Milites debitas suis in ipsa militia patratis criminibus pænas evitandi causa ad Sacras Ecclesias, & loca immunia securitati suæ consulturi continuo confugere festinant, eorum Præfecti ut in ipsos pro culparum meritis animadvertant, ex ijsdem Ecclesiis immunibusque locis per vim extrahere contendunt. Fraternitatibus autem Vestris satis superquè compertum exploratumquè esse non ambigimus, quanta sollicitudine Nos in Suprema Catholicæ Ecclesiæ specula constituti advigilare, & adlaborare debeamus, ut Ecclesiastica Immunitas ea Apostolicæ Providentiæ ratione inviolabilis ubiquè servetur, debitusque Sacris Templis ac locis honor ita exhibeatur, ut omnis quamvis levis occasio vis aut ausus penitùs removeatur. Ea propter Vobis, Venerabiles Fratres, injungimus, & mandamus, ut in sua quisquè Vestrum Diecœsi sub præcepto edicat Superioribus, ac Rectoribus, tùm Sæcularibus, tùm Regularibus Ecclesiarum Sacrorumque locorum quorumcumquè etiam Cœnobiorum, ac Monasteriorum Poloniæ, nè deinceps audeant per Quinquennium à die intimationis harum Nostrarum in forma Brevis Literarum inchoandum recipere, vel in ijsdem locis immunitatis Ecclesiasticæ jure gaudentibus retinere quoscumquè criminosos Milites ut infra designandos sub pæna suspensionis, ab exercitio Ordinis privationisquè Officiorum, ac dignitatum, quin, & inhabilitationis perpetuæ ad eadem, aut similia munera imposterum obeunda. Criminosi autem, quibus denegandа est hujusmodi securitas, hi dumtaxat sunt. Primùm ij omnes, qui postquam se se Militiam secuturos polliciti, præmium etiam de more constitutū acceperunt, in Milites adscribi, & cooptari nolentes aufugiunt, deinde qui militiæ adscripti & cooptati, atquè solito Militari Sacramento obstricti sine necessaria, solitaquè venia à Præfectis obtinenda militiam deserunt, deniquè qui jam milites violatæ bellicæ disciplinæ crimine quomodo-

modocumquè rei, ut meritum juxta militares Leges ſupplicium declinare valeant, transfugæ ſe in Eccleſiis, locisvè immunibus tutantur. Cum itaq; contigerit quemvis antedictorum delinquentium, ſive conſentientibus, ſive diſſentientibus eorumdem locorum Superioribus vel Rectoribus in qualibet Eccleſia locovè immuni confugium, præſidiumque ſibi quæſiviſſe, ſtatuimus, ac decernimus, ut, cũ Præfectus Militis, ut præmittitur, rei, hunc ſibi tradendũ à Præſule Loci Ordinario juridice poſtulatũ fuerit, poſtulatum hujusmodi admittatur, ut extractio rei cum interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ ab ipſo Antiſtite Loci Ordinario deputandæ fiat. Verum volumus, ac mandamus, ut in ipſo tradendi conſignandique Militis rei actu à Præfecto ſive altero ejuſdem nomine interveniente Authenticum de non plectendo reum morte, aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva jusjurandũ omninò præſtetur ſub pæna Excommunicationis latæ ſententiæ adversùs contravenientes Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti Succeſſori Noſtro præterquàm in mortis articulo reſervatæ. Cæterum exceptis iis, quos ſupra recenſuimus decrevimusquè caſibus, volumus, & mandamus, ut Eccleſiaſtica Immunitas in memorato Poloniæ Regno illæſa, & intacta ſervetur juxta Sacros Canones, Apoſtolicas Conſtitutiones, & Concordata Apoſtolicam Sedem inter & Regem Poloniæ inita, & auctoritate Apoſtolica confirmata. Volumus inſuper, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur ijſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Interim Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die V. Octobris MDCCLIV. Pontificatûs Noſtri Annô Decimôquintô.

CAIETANUS AMATUS.